



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CIX. De Præceptis Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Erotem. Eccles. Cap. CIX. De Præceptis Ecclesiæ. 151

18. *Quer.* An sit mortale levis tactus manuum, vel vellicatio, aut digitorum intorsio, quæ præcipue in choreis inter mares, & scæminas fieri solet? *Resp.* Alii negant, tanquam res levis: alii affirmant, ob periculum consensus in delectationem veneream; & ideo Bonacina dicit, esse caute respondendum, ne relaxentur habentia in materia tam lubrica, ubi supra num. 11.

19. *Quer.* An liceat osculari pueros, & puellas parvulas, quando ex sincero affectu osculantur? *Resp.* Licere; quia delectatio illa non est ob malum finem, sed ob innocentiam illius teneræ ætatis. *Rebell. lib. 3. de Matrim. q. 19. sect. 3.*

20. *Quer.* An aspectus scæminæ, vel aliarum personarum ob pulchritudinem, sit peccaminosus? *Resp.* Si fiat ob simplicem curiositatem, absque delectatione veneream, & in partibus non impudicis, non erit mortalis. *Bonac. d. quest. 4. punct. 10. & diximus supra in sexto Præcepto.*

21. *Quer.* An aperienda sit in confessione circumstantia personæ, circa quam quis habuit delectationem veneream in aspiciendo? *Resp.* Affirmativè. *Bonac. ubi supra num. 16. d. mea Decisio 27. num. 9. de Penitentia.*

22. *Quer.* An peccet puella, quæ se præbet aspiciendam ei, à quo scit amari turpi amore? *Resp.* Eam peccare mortaliter peccato scandali, quia præber proximo suo occasionem spiritualis ruinæ. Porro, si id faceret, ut uteretur sua libertate exeundi domo, vel standi ad ostium, vel fenestram, posset excusari à peccato; quod ego intelligerem, si staret ad fenestram, vel ad ostium ex aliqua honesta causa; secus, si hac sola ratione; quia vult uti sua libertate. *Bonacin. ibid. num. 17.*

23. *Quer.* An Turpiloquium sit peccatum mortale? *Resp.* Negativè, si fiat absque affectu venereo, & absque scandalo. Secus verò, si cum aliquo ex dictis affectibus. *Tolet. lib. 5. cap. 14. Cajet. 2. 2. qu. 148. art. 5. Bonac. ubi supra num. 18.*

24. *Quer.* An Clerici comœdiis interessentes, peccent mortaliter? *Resp.* Negativè, cessante scandalo & contemptu Superiorum; quamvis ab illis debeant abstinere tanquam in jure prohibitis. *cap. Non oportet. 2. de Consecr. dist. 5. c. Clerici 2. De vita, & honest. Cleric. Bonac. ubi supra num. 22. qui num. 24. notat, eos peccare mortaliter, si choreas ducant.*

25. *Quer.* An qui fucat faciem, utitur odoribus, vel alienis capillis, peccet? *Resp.* Si id agat ob malum finem, peccat mortaliter. Si ex levitate tantum, peccat venialiter; Si ob justam aliquam causam, vel ob morem patriæ, nihil peccat. *Bonac. ubi supra num. 25. & 26.*

CAPUT CIX.

De Præceptis Ecclesiæ.

1. *Quer.* Quæ, & quot sint Præcepta Ecclesiæ, fidelibus omnibus, communiter servanda, proposita? *Resp.* Esse quinque; nempe audire Sacrum diebus festis de præ-

cepto; Jejunium diebus debitis servare. Confiteri, & Communicari in Paschate. Non celebrare nuptias diebus prohibitis. Decimas solvere.

2. *Quer.* Cum de Præcepto audiendi Sacrum actum sit supra in tertio Præcepto Decalogi, An, qui Missam audiunt cum distractione voluntaria; vel etiam Officium Divinum sic recitant, satisfaciunt Præcepto Ecclesiæ? *Resp.* Hanc quæstionem latè examinari à Domino Fagnano in cap. Dolentes. num. 17. & seqq. de Celebrat. Missarum. tom. 5. pag. 306. Ubi refert plures DD. dicentes, satisfieri, dummodo distractio non proveniat ob opus externum incompatible cum attentione interna; quale est scribere, confabulari, dormire; sed eos refutat, dicendo, quotiescunque distractio est voluntaria, & homo se talem cognoscit, tenetur revocare mentem, & redire ad cor, ad hoc ut satisfaciat præcepto Missæ audiendæ, vel officii recitandi. Quamvis concedat cum auctoritate plurium Theologorum, & Canonistarum, quòd sufficiat devotio, seu attentio virtualis, & necessaria non est actualis continua, quam sine speciali gratia Dei in hoc mundo habere non possumus, juxta illud Psalmistæ, *Cor meum dereliquit me.*

3. *Quer.* An qui detinentur domi ob infirmitatem, & habent in ea Oratorium, cum facultate celebrare faciendi, teneantur celebrare facere, & audire Missam in die festo? *Resp.* Negare Suarez 3. part. disp. 88. sect. 6. & Dianam part. 4. tract. 4. resol. 80. & par. 9. tract. 1. resol. 19. At affirmare Card. de Lugo disp. 22. num. 14. Quod intelligendum est, si Missa ibi celebretur, vel commodè eam possint facere celebrare; & hanc opinionem affirmativam docui in meis decisionibus *De Eucharistia decis. 8. num. 52.*

4. *Quer.* An sit audienda Missa in die Parasceves, si in eo incidat festum Annunciationis? *Resp.* Negativè secundum Gavant. part. 3. tit. 29. num. 24. ubi testatur, sic respondisse Sac. Congregat. die 19. Febr. 1622. Quia illa Missa non est verè Sacrificium, eo quia in illa non fit consecratio.

5. *Quer.* An, qui non poterit citius accedere ad Missam, nisi cum Sacerdos recitat Præfationem, seu Sanctus &c. teneatur reliquum Missæ audire sub mortali, vel possit impunè recedere, & abire? *Resp.* Posse abire, docuisse Jo. Sanchez disp. 15. num. 5. Sed non posse, tutius scribit Tamburin. lib. 4. in Decalog. cap. 2. §. 1. num. 5.

6. *Quer.* An impleatur Præceptum audiendo dimidium Missæ ab uno Sacerdote, & dimidium ab altero? *Resp.* Secundum auctoritatem Doctorum affirmativè, quos cumulat Diana par. 2. tract. 17. resol. 18. & par. 5. tract. 14. ref. 52. & par. 10. tract. 15. resol. 3. At contrarium docet Card. de Lugo disp. 22. num. 10. & Tambur. lib. 4. in Decal. cap. 2. §. 1. num. 5. Advertendum, quòd Anno 1679. à SS. Innocentio Papa XI. in Proposit. 53. damnatum fuit, asserere, quòd satisfaciunt Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audiat. Quare nunc est legendus Cardenas in Crisi Dissert. 33. cap. 6. & 7. qui

152 Erotem. Eccles. Cap. CX. De Jejunio Ecclesiastico.

qui notat, esse cavendum à dicta opinione damnata.

7. *Quer.* An satisfaciatur præcepto, qui audit Missam stando ad fenestram domus contiguae Ecclesiae, inter quam tamen & domum prædictam extat e medio via? *Resp.* Affirmative, etiam si esset platea, dummodo tamen e fenestra videri possit Sacerdos celebrans. *Tambur. lib. 4. cap. 2. §. 1. num. 14. & Cotonius controvers. 14. cap. 3. num. 32.*

8. *Quer.* An, qui recitat horas Canonicas audiendo Missam, satisfaciatur utrique præcepto? *Resp.* Affirmative. *Diana part. 2. tract. 12. resol. 2. & part. 5. tract. 13. resol. 61.* Imò idem asserunt Doctores de eo, qui confitetur peccata sua, si cito se expediat, videlicet saltem ab initio Missae usque ad Evangelium. *Coton. ubi supra num. 42.* Secus, si longiori tempore protraheret suam homologem, *ubi supra cap. 47. num. 16.*

9. *Quer.* An omissa Missa ob finem furandi, vel adulterandi, talis finis sit explicandus in confessione? *Resp.* Affirmative, licet effectus non sequatur, ut docui de Penitentia *Decis. 27. num. 6.*

CAPUT CX.

De Jejunio Ecclesiastico.

1. *Quer.* Quid sit Jejunium? *Resp.* Est abstinentia ab his, quæ gustu percipiuntur. *Cotonius d. lib. 1. Controvers. 17. cap. 1. num. 1.* ubi id de naturali jejunio intelligit, quod necessarium est ad sumendam Eucharistiam. Porro jejunium Ecclesiasticum esse, ait Abstinentiam à carnibus, & duplici confessione in eodem die.

2. *Quer.* Quibus diebus sit obligatio jejunandi? *Resp.* Per totam Quadragesimam, exceptis Dominicis: Quatuor anni Temporibus per tres dies; & aliis Vigiliis Sanctorum ab Ecclesia statutis. *Coton. ubi supra num. 9. Controv. 17.*

3. *Quer.* Quibus diebus sit à carne abstinendum? *Resp.* Dictis diebus juniorum, & insuper singulis sextis feriis, & Sabbatis. *cap. ult. de Observ. jejun. & cap. Quia dies, de Consecrat. dist. 5. nisi in eis acciderit dies Natalis Domini.* *Cotonius ubi supra num. 6. 7. 8. 9. & 10.* ubi observat, eos dicto die Natalis Domini non posse carnes comedere, qui Voto sunt adstricti ad jejunium in quocunque die Veneris, vel Sabbati; prout etiam ii, qui ob Regularem observantiam dictis diebus jejunare tenentur. *Molin. tom. 2. disp. 272. num. 3. Diana part. 1. tract. 9. resol. 22.* Quæ in Coordinato Opere est *tom. 4. tract. 6. resol. 61.*

4. *Quer.* An diebus juniorum liceat comedere ova, & lactinia? *Resp.* Negative, quoad jejunium Quadragesimale ex S. Gregor. *Papa dist. 4. cap. 6.* Quò verò ad alia jejunia vigiliarum servandas esse consuetudines regionum. *Coton. ubi sup. num. 13. Nicolius Institut. Canonica. lib. 3. tit. 46. num. 2. Fagnan. in cap. Consilium, num. 54. de Observat. jejun. tom. 5. pag. 347. & novissime Pignatell. in suis Consult. Canonica. consult. 15. tom. 1.*

5. *Quer.* An diebus Dominicis Quadragesimæ liceat comedere ova? *Resp.* Plures fuisse Doctores, qui affirmativam sententiam conati sunt defendere, quia tunc non est præceptum Jejunii; sed eorum reprobat sententia ob contrariam inveteratam Ecclesiae consuetudinem, ut pluribus citatis hinc inde tenet *Coton. dist. Controv. 17. num. 25. & 26.* ubi notat, mortiferum esse, comedere ova, & lactinia diebus Dominicis Quadragesimæ saltem in Italia; quod *num. 27.* extendit etiam ad alios dies Jejunii intra annum. Hinc Anno 1666. ab Alexandro Papa VII. fuit damnata hæc Propositio: Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lactinia in Quadragesima, obliget. Ut in *Propos. 32.*

6. *Quer.* An comedens carnem, vel ova in die jejunii teneatur amplius eo die jejunare? *Resp.* De comedente ova, & lactinia communem esse opinionem, quòd teneatur jejunare. De comedente carnem, esse hinc inde opiniones; idè, qui dispensantur à cibis vetitis, consulant Viros doctos, *Coton. ibid. num. 29.*

7. *Quer.* An in esu carniū, vel ovorum in die jejunii detur parvitas materiæ? *Resp.* Affirmative. *Leo quest. moral. de Chocolat. part. 3. num. 3. Diana part. 5. tr. 5. resol. 32. & par. 10. tract. 14. resol. 59. Coton. dist. lib. 1. Controvers. 17. cap. 2. num. 30.* ubi notat, non peccare coquos, & dapiferos in die jejunii gustantes jus, & pulmentum ad vadimonium, & gustum Principum; & idè, qui absque causa parum quid fumeret, peccaret venialiter tantum.

8. *Quer.* An in die jejunii liceat comedere placentulas, seu mustacea confecta cum ovo, vel butyro, ut sunt li *savojardi*, d *buzolati*? *Resp.* Attendendam esse consuetudinem regionis, ut docet *Coton. ubi supra num. 31.* Qui dat exemplum de diversis regionibus; & nos addere possumus exemplum del *Mandolato*; quod propè festa Natalitia conficitur Venetiis, & Patavii cum albugine ovorum, & tamen comeditur ex consuetudine in die jejunii.

9. *Quer.* Quando incipiat dies jejunii? *Resp.* A media nocte antecedenti, & durat usque ad mediam noctem subsequentem. *Coton. ubi supra num. 32.*

10. *Quer.* An, qui dubitat, utrum media nox præcedens jejunium, vel subsequens jejunium transacta sit, possit cœnare? *Resp.* In nocte præcedenti potest; in subsequenti non potest, quia in dubio statur pro possidente; & in primo casu possessio est pro libertate, in secundo pro jejunio. *Diana part. 4. tract. 3. resol. 18. Coton. ibid. num. 33.*

11. *Quer.* An in postrema nocte Bacchanalium liceat protrahere cœnam post mediam noctem per duas, aut tres horas? *Resp.* Negative. *Diana part. 1. tract. 16. resol. 17.* Quæ in opere Coordinato est *tom. 4. tract. 6. resol. 38.*

12. *Quer.* Quænam sit hora propria prandii in die jejunii? *Resp.* Quòd olim in jejniis Quadragesimæ hora erat in Vespere, id est, Sole occidente; in aliis verò jejniis hora